

## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacrementis in Genere, & duobus primis in specie

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1665**

Lectori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](#)

# LECTORI.

**B**eatus Paulus Apostolus Corinthios exhortando ad imitationem eorum, qui in stadio currunt, inquit: Necitis <sup>1. Cor. 9. 7.</sup>  
quod iij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt,  
sed unus accipit bravium? Et continuo artexit: Sic  
currite ut comprehendatis. Cucurri in stadio Theologiae  
Scholasticae <sup>U</sup> moralis viginti quatuor continuit annis, <sup>U</sup>  
cum manum meam extendo ut bravium accipiam, vix Theologi nomen me-  
reor. Profecio verus Theologus non est, qui quamvis multa de Deo differat,  
corde tamen fixus in terra est.

Quomodo ergo audebo calatum stringere, <sup>U</sup> suscipere provinciam typis  
scripta mandandi, cuilibet etiam subtilissimo <sup>U</sup> sanctissimo merito hodie for-  
midandam? Haud equidem ignoro tam difficile esse omnium ingenij <sup>U</sup> affe-  
tibus acceptum librum edere, quam omnium palato probatum condire cibum,  
aut omnium statura <sup>U</sup> membris unam tantummodo accommodatam vestem  
concinnare.

Quid igitur? Stringo calatum non scribendi ardore, sed sincero animo <sup>U</sup>  
discreto zelo, justitia utique ac pietatis lege, vindicandi Doctorem Subtilem  
Scotum, Magistrum meum ac Invictissimum Theologorum Principem, vin-  
dicandi, inquam, a sententijs, que falso ei imponuntur ab Adversariis, quo-  
rum infinitus penè est numerus.

Nam et si scriptum sit: Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & <sup>Psalms. 63. 7.</sup>  
infirmatae sunt contra eos linguae eorum; placuit tamen eis in faciem resi-  
stere; siquidem in hoc Religionis candor non inficitur, nec morum integritas  
violatur, cum Apostolus ad Galatas 2. sibi laudi vertat hæc verba:  
Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia re-<sup>Ad Gal. 2.  
v. 11.</sup>

Sanè reprehensibles sunt, qui in Scotum (quem forte numquam vel à li-  
mine salutarunt, vel proprijs oculis inspicerunt, vel saltem in manus assum-  
plerunt) invehuntur, cum ferè omnia Scotti ex D. Augustino sint hausta.  
Equidem in solis quatuor libris sententiarum nonaginta <sup>U</sup> quinque sententias  
Sanctissimi Patris tuerit.

Quidni tueretur doctrinam, quam Romana sequitur <sup>U</sup> servat Ecclesia?  
Doctrinam, inquam, D. Augustini, de quo sanctissimo juxta ac doctissimo  
Præfule extat hoc Elogium: Quicumque de Christo, de fide, de Religio-  
ne aliquid saperent, omnibus in ore erat Augustinus, ut nihil penè ex  
sacris litteris possit, nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete expli-  
cari. Eo jam Auctore factum, ut nec Philosophis sapientiam invidea-  
mus, non Oratorum eloquentiam desideremus, non studiosorum inge-  
nia requiramus; non denique nobis acumen Aristotelis necessarium, non  
Platonis eloquentia, non auctoritas Pythagoræ, non Empedoclis solertia,

non cuiusque illius generis hominum scientia ac virtus documento esse  
debeat. Idem nobis Prophetarum oracula, idem Apostolorum voces  
refert, idem omnium Scripturarum sensum exprimit. Unus postremò  
omnium Patrum, Sapientiumque ingenia ac studia exhibet. Si verita-  
tem quaeritis, si doctrinam, si sapientiam, si pietatem, quis doctior,  
quis justior, quis, ut ita dicam, sanctior Augustino? Martinus Papa V.  
*Serm. de Translatione S. Monicæ.*

*Nemo ergo miretur, si inhærens vestigijs Magistri mei, frequentius re-  
cito verba sanctissimi juxta ac doctissimi hujus Praesulis; verba, inquam,  
prorsus invariata, non alienus, sed proprijs oculis inspecta. Quod etiam ob-  
servandum duxi in alijs Sanctis Patribus, Scripturis sacris ḡ Ecumenicus  
Concilij, immo Auctoribus Scholasticis, ex quorum verbis pro magna parte  
hoc opus contexui: verbis, dico iterum, plerumque invariatis, ne, ut lapidius  
aliquibus contingit, immutando verba, immutarem sensum, ḡ, quod illi  
clarè dixerant, obscurè referrem, ac quasi propria statuerem, quæ verè erant  
aliena. Laborem examina, corrige ḡ vale.*



FACULTAS